



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

V. De testibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

sum, vbi expedire viderint, faciant publicari, prædictosque iudices excommunicatos publice nuntiari.

IV.

Quamvis diuinæ legis præcepto sancitum sit, diebus dominicis & festiuis ab omni opere seruili abstinere: nonnulli tamen huiusmodi transgredientes præceptum, & rusticalia opera & articia manualia diebus prædictis exercere præsumunt. Ne igitur ex transgressione huiusmodi fidelis populus indignationem Dei omnipotentis incurrat, statuimus, vt nullus in diebus dominicis & festiuis agros colere audeat, aut articia manualia exercere præsumat, nisi urgente necessitate vel euidenti pietatis causa, & tunc de speciali licentia sacerdotis. Transgressores autem præsentis constitutionis per excommunicationis sententiam a suis ordinariis puniantur.

V.

Causarum & litium dispendiosa protractio, quæ plerumque per falsorum testium dicta & aduocatorum malitiam procuratur, quatenus fieri poterit, iuris est auxilio restringenda. Ideoque statuimus vt falsi testes, aduocati, mediatores, & aliter eos inducentes ad falsa testimonia perhibenda, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi postquam eis satisfecerint, quibus damna per depositiones & inductiones huiusmodi illata sint, nullatenus absoluantur: præsentem vero constitutionem prælati faciant in suis ecclesiis cathedralibus & parochialibus diebus solennibus & in Synodis publicari.